

ANTONII ROSMINII

Christianæ Perfectionis Documenta

Latine vertit Sac. P. C. Rizzo I. C.



EDIZIONI ROSMINIANE – STRESA (VB) 2020

ANTONII ROSMINII

*Christianæ Perfectionis
Documenta*

Latine vertit Sac. P. C. Riso I. C.

Editio XXXVI



EDIZIONI ROSMINIANE – STRESA (VB) 2020

Editio XXXV
“Sodalitas”, Domodossola 1954

INDEX

Præmium	p. 7
De Antonio Rosminio	p. 9

Christianæ perfectionis documenta

I - De christiana perfectione generatim	p. 18
Adnotatio.....	p. 21
II - De primo documento quod est: Deo tantum et infinite placere, seu iustus esse studeto	p. 22
III - De secundo documento quod est: Cogitationes tuas et tuas operationes omnes ad Jesu Christi Ecclesiam augendam et illustrandam dirigito	p. 25
IV de tertio documento quod est: In omnibus quæ Divino Numine non tibi tantum, verum etiam Jesu Christi Ecclesiæ eveniunt, perfectam securitatem servato, pro ea operans divinitus accersitus	p. 29
Adnotatio	p. 30
V - De quarto documento quod est: Divinæ Providentiæ totum te ipse committito	p. 31
VI - de quinto documento quod est: Nihil te esse penitus agnoscito	p. 38
VII - de sexto documento quod est: Omnia vitæ tuæ negotia spiritu intellectus disponito	p. 41

De petendarum rerum ordine ex ratione Societatis a
Caritate nuncupatæ

I- De necessaria eaque optima petitione	p. 47
II - De aliis petitionibus	p. 55
§ 1 - De rebus petendis e status nostri natura	p. 56
§ 2 - De iis quæ a deo petenda sunt ex causis externis p.....	p. 59
§ 3 - De iis quæ nostra sponte petere possimus	p. 61

Proemium

Primo propemodum sæculo exeunte a pretiosa morte Antonii Rosminii, – piissimi sacerdotis, Societatis a Charitate nuncupatæ et Sanctimonialium a Providentia conditoris –, Consilium quoddam Virorum eius operum studiosorum hunc egregium Dei famulum eiusque doctrinas quam maxime illustrare studuerunt.

Præter multa, hoc scitu dignum est, complura de Rosminio volumina tum in Italia, tum in Gallia et in Hispania in lucem proditura, nec defutura in Germania aut in Anglia, atque provisum esse, ut præcipui de philosophia commentarii, qui in Europa eduntur, de præstantissimo hoc Viro aliquid referant. Tum e pluribus nationibus philosophorum Conventus agetur, mense septembri anno 1955, multique cœtus in nonnullis urbibus.

At Rosminius non disserendi tantum acumine præcipuus est, sed etiam, præterquam vitæ summa integritate, virtutis et sanctimonie doctrinis, adeo ut inter Italicos id genus scriptores facile princeps habeatur. Cuius in huiusmodi scriptis primum locum obtinet libellus qui *Christianæ Perfectionis Documenta* (Massime di perfezione) inscribitur.

Asceseos enim hic fundamenta iacit, quibus dein suam Religiosam Societatem erexit, quæque incredibili quadam congruentia in epistolarum suarum multitudine, præsertim quæ ad pietatis magisterium attinent, amplissime explicavit, necnon in suæ Societatis Constitutionibus ac Regulis aliisque scriptis, potissimum vero in Doctrina Charitatis.

Hoc etiam habet idem libellus, quod vera forma fuit vitæ et sanctitudinis Antonii Rosminii; non merus cerebri est partus, sed et fructus eius divino servitio deditiois, cum sacerdotio est auctus, eiusdem, quam duxit, religiosæ vitæ certa ac perfecta norma omnisque moris et ævi indeclinata ipsius via.

Inde fit, ut ad Rosminii animam rationemque vere noscendas hinc, ab hoc libello (*Massime di perfezione*) res semper sit repetenda; quæ pariter causa sit multarum, quæ paulatim factæ sunt, editionum Italico, Gallico, Anglico, Germanico sermone.

Consilium itaque ad sæcularem hanc commemorationem agendam Antonium Rosminium, mirabilem virtute sacerdotem, omnibus catholici orbis Episcopis et Sacerdotibus illustrare volens, nihil satius duxit quam præbere tam præclaris ac reverendis Viris eadem *Christianæ Perfectionis Documenta* in Latinam linguam translata, gratum iis se facere et Antonii Rosminii causæ atque animarum utilitati consulere pro certo habens.

Hisce autem Docuinentis accedit de precatione quædam institutio seu *De petendarum rerum ordine ex ratione Societatis a Charitate nuncupatæ*, quæ proxima eorundem Documentorum usurpatio est et pæne vixdum absolutio.

Quo melius porro in dies innotescat et sua vera luce clarescat Rosminii animi vultus imago, sæpius præiudicatis, veteribus penitusque defixis opinionibus deformata, optimum visum est duabus hic iunctis opellis Rosminii vitæ brevem descriptionem antepone, quam in volumine satis probato scriptam invenimus ab auctore integerrimo ac verissimo concinnato, quale est Ecclesiæ Historia Excellentissimi Augustini Sabæ, Ambrosianæ Bibliothecæ olim Doctoris, Tropææ nunc Episcopi.

Hoc opusculum vobis, Reverendissimi Viri, pergratum fore confidimus, cuius lectio et cogitatio vestrum in Antonium Rosminium officium et cultum facile convertat, et vos iungere suadeat frequenti Christiadam choro, qui ab Ecclesia eius festinos cœlitum honores secundo omine adprecantur.

De Antonio Rosminio

Non satis facile inveneris qui tam singulari animi fulgeat ingeniique genere quam Antonius Rosminius.

Haud ita multis vel speciosis eventuum vicibus vitæ eius curriculum distinctum est; angusto immo rerum agendarum limite circumscriptum omnino comparuit, ac doctrinis, fundendis precibus novæque Religiosorum Societati condendæ deditum. In agro Tridentino, Roboreti natus est a. d. IX kal. apriles, anno 1797; sed post annum 1828 in Subalpinis plerumque fuit, ubi operam impendit suam et ætatis cursum complevit.

Duas iam a puero et apertissimas ostendit propensiones, at sublimiore quodam intuitu compositas, quæ per totam neque longam eius ætatem persistierunt, nempe 1. addiscendi studium, (grandem ipse appellabat et unam suam cupiditatem) et 2. se suaque omnia divino servitio et proximorum charitati addicendi certam voluntatem.

Magnam adhuc puer sui ingenii vim mirifice portendit, adeo ut nondum viginti annos nato doctissimi eius temporis viri ipso familiariter uti cupiverint; quantopere vero divino inhiaret servitio integritas vitæ testatur, item quod parentibus reluctantibus, sacerdotium affectans magnam utique futurorum spem libenter abnuerit, multa præterea conatus, alios iuvenes sibi adiungendi causa, quos ad sacerdotalem vel christianam plane vitam direxit.

Domesticis et angustioribus litterarum, sacri eloquii, Aquinatis doctrinæ, aliorumque utiliuru studiorum sodaliciis, AMICORUM SOCIETATEM ab anno 1819 ad 1825 addidit, quæ per Venetorum fines et propagata est; idoneis rationibus ad iuvenes bene instituendos, ceterisque, qui ab eo veri lumina exquirebant gratificandum usus, ad quos suasionis et hortationis verba assidue scribebat. In diversas Italiæ

provincias et in Germaniam crebræ eius litteræ mittebantur et inde afferebantur.

Liberalium studiorum curriculum Pataviæ confecit; sed quod in eo præstitit, sibi ipse debet. Anno 1821 sacerdos factus, breviter domi suæ abdite commoratus, anno 1826 Mediolani degit, et duos post annos (anno 1828 mense februario), Calvariæ apud Oselam, austeram vitam ducturus et ad divina iussa perquirenda, quæ prima mens erat, reapse, Deo, quem unum sequi cupiebat, ducente, ad Religiosorum Societatem auspicandam.

Jam ad hoc ei Canoxensis, nunc beata, Magdalene nonnulla incitamenta dederat; utriusque vita et opera, coniungenda visa. At suam uterque postea carpsit viam. Orientem videns apud se, quam conditurus primum non fuerat, Societatem, id manifesto Dei numine fieri sibi persuasit; ab anno autem 1828, quoad in vita fuit, *Societas a Charitate nuncupata* eius unica, pæne dixi, cura et amor. Namque posterior Rosminii vita, etiam ad ulteriorem eius operam quod attinet – scriptoris, parochi, rerum civilium auctoris – eiusdem Societatis vitæ arcte insita est.

Idcirco Austriæ finibus (ubi nimirum iam ab anno 1823, Romano ab eo Pontificatu eximie celebrato, quasi insidiosæ mentis homo, a publicæ disciplinæ custodibus notatus est) excedere coactus est et in Subalpinis considerare. Hic, Oselæ quidem ac Stresæ, bina suæ Societatis domicilia condidit. Tridenti vero eandem suscitare posse brevi tantum confisus est, quamvis ab Episcopo illuc vocatus (annis 1832-1835); itemque Veronæ (annis 1846-1849), unde eius Filii vi militari pulsi sunt.

Societatis primi gressus et approbatio eum bis Romæ morari coëgerut (a. 1828-1830, et mensibus augusto atque septembri a. 1839; tertio autem ibi fuit mense augusto (anno 1848) ex civili causa subalpini regiminis ad Pium IX, Summum Pontificem, legatus.

Postrema hæc commoratio non caruit curis aut laboribus; sequi enim debuit Summum Pontificem fuga petentem Caietam, ubi, præter Partenopeium transcursum, usque ad mensem iunium anni 1849 mansit; donec regii vigiles, pontificali Curia connivente et Austriæ ministris incitantibus, illinc eum demoverunt.

Ab anno 1836 solita Rosminii sedes Stresæ domus fuit, ubi recondita serenaque pace, Sanctorum omnimodo more habituque, a. 1855 Kal. juliis de vita decessit.

Multum de Rosminio et vivo et mortuo disceptatum est. Eiusdem sententiam de humanarum divinarumque rerum scientia ac recte sancteque vivendi arte novi aliquid præferre et ingenii eius quandam propriam præstantiam, non est infitandum.

Hinc nonnunquam acres, præfractæ semper, haud raro ardentes simultates et pugnæ. Ut complures omittamus de mere philosophis quæstionibus cum præclaris Italiæ viris (Melch. Gioia, I. D. Romagnosi, Ter. Mamiani, Vinc. Gioberti præcipue) contentiones, singulari eum dolore affecere invidiosiores de divinis rebus contentiones et dissensiones quorundam clericorum, quibus, inter falsa crimina, ipsam eius catholicam fidem in dubium revocare ausi sunt, eiusdemque operæ equidem magnam partem, – religiosæ eius societatis interitum intentantes, – averterunt aut continuerunt.

Quod primum evenit ab anno 1839 ad 1843, *De morali conscientia* tractatu edito. At tunc Gregorius XVI Romanus Pontifex intervenit (mense martio a. 1843) utrique parti silentium indicens. Theologorum iurgium, quod semper ardens in cinere, anno 1849 iterum exortum est, prætexto etiam de rebus civilibus opinionum, quod R. Pontifici Pio IX, cum Romæ tum Caietæ, libertatis viam, contra illiberalia Antonelli placita, suadebat. Anno 1849 mense junio duo Rosminii volumina in proscriptorum librorum Indice ascripta sunt, nempe *De quinque S. Ecclesiæ vulneribus* («Le cinque piaghe della Santa Chiesa») et *Civitatis forma iuxta socialem iustitiam* («La Costituzione civile secondo la giustizia sociale»).

Quorum alterum paucis ante mensibus Pius IX Pontifex laudaverat, Ecclesiæ enim et S. Sedis libertatem valide et anxie tuetur contra civilis potestatis iniurias ac iniustas vindicias; alterum civitatis formam adumbrat, quam Italis maxime idoneam esse censebat et gentium atque Ecclesiæ iura plurimum observantem. Pariter eodem anno omnia Rosminii scripta examinari cœpta sunt: quo examine non quidem raptim sed diligentissime peracto, S. Romana Indicis Congregatio, in plenissimo cœtu, cui Summus ipse Pontifex, unico

fere exemplo, præesse voluit, honorifico in Auctorem iudicio «*A. Rosminii opera omnia dimittenda esse*», significanter pronunciavit: (pridie id. iul. a. 1854).

Sed, Pio IX Pontifice defuncto, contentiones contra Rosminium renovatæ sunt. Iudicii quod supra commemoravimus (vulgo «*Dimittantur*») interpretatio primus obtentus fuit; ea enim interpretatio cum responsis, Pio IX vivente, publice vel fere publice datis hand facile componitur. Mox doctrina ipsa impugnata. Has vero contentiones ex hoc quod nova post Auctoris mortem scripta prodissent quidam excusare voluerunt, quippe quæ errata haberent in superioribus nonnisi adumbrata et in primis quibusdam elementis involuta, sed eo devenerunt ut (Decreto VII id. dec. a 1887 facto, sed subsequenti anno nonis martiis promulgato) *XL Propositiones* ex Rosminii scriptis desumptæ damnarentur (et quidem undetriginta ex operibus postumis, undecim e superioribus; viginti quattuor ad philosophiam, sedecim ad theologiam pertinentes), quibus omnia fere capita eorum quæ philosophi ac theologi vera docent, a Rosminio abnegari vel in dubium revocari voluerunt. Decretum porro ait tantummodo nonnullas Rosminii doctrinas «*catholicæ veritati haud consonas visas esse*»: eiusdem vero interpretatio in peius versa est; idque consulto et contentionis causa studioque satis perspicuo Rosminium eiusque scholam una cum doctrinis in perpetuum abolendi.

Circa Rosminii enim nomen complures eius rationis sectatores convenerant, qui ante eiusdem damnationem et, quatenus Ecclesie decretorum obsequium sinebat, etiam postea, Rosminii placita explicantes simul et aptantes defenderunt.

Quæ schola vires nunc resumere videtur, opera in primis nonnullorum laicorum et clericorum, qui, studiis incumbentes, Rosminii instituta severe et libere prescrutantur. Constat enim apud omnes Rosminium multa nobis instituta tradidisse, quæ nullum, ut ita dicam, quæstionum genus ad philosophiam aut theologiam attinentium indelibatam inexploratumque reliquant. Scriptorum eius corpus omnium rerum doctrinam complectitur; etenim rerum omnium doctrinam Christi sensus habentem uno opere complecti idque Gallorum Illuminantium, ut vocant, simili operi, sed Christum impetenti

et id temporis pervulgato, opponere iam ab adolescentia ipsi steterat.

His quæ commemoravimus et religiosis eiusdem scriptis quam plurimæ epistolæ addendæ sunt. Asceticæ eius epistolæ optimis id genus catholicorum virorum scriptis accensendæ. Alexander Manzonius qui eum probe novit multumque dilexit, optimum scriptorem appellavit, et profundam philosophi eruditionem doctrinamque eleganter constitutam laudavit (V. Epist. 336, ed. Sforza).

Idem optimus Italiæ poeta confirmavit «*A. Rosmimum omnium, quos Italia haberet, absolutissimum esse virum, perfecte Christianum, summum philosophum, patria amantissimum, scriptorem cuius grandis admiratio*». Et Tommaseium alloquens, Rosminium ait «*unam e sex septemve philosophorum acutis mentibus, quibus hominum genus maxime honoretur et quas Deus, interiectis sæculis tantum, condere soleat*».

Litteris Apostolicis, quibus Rosminii Pia Societas approbatur, «*virum excellenti ac præstanti ingenio præditum, egregiisque animi dotibus ornatum, rerum divinarum atque humanarum scientia summopere illustrem, eximia vero pietate, religione, virtute, probitate, prudentia, integritate clarum, ac miro in catholicam religionem atque erga hanc Apostolicam Sedem amore ac studio fulgentem*» Gregorius XVI prædicat.

Philosophiæ institutiones arte conclusas tradere, quæ theologiæ viam munirent eique plane concinerent, Rosminio in animo erat. Philosophiam quandam spe nominat, præterquam Italicam, Christianam, quæ scilicet vera sit ac solide exstructa.

Suam rationem «*Veritatis Disciplinam*» (sistema della verità) appellavit, hærentem intelligi volens primæ veritati, quæ humanæ menti affulget et hominem ipsum rationalem quandam naturam constituit. Ipse igitur omnimoda animi submissione, cupiditatis expers, verum exquirere decernit, et quorundam recentiorum arrogantiam fugiens, qui omnia de integro instaurare audent, præcedentibus disputatoribus cohærere, et eorum præceptorum quæ tradunt Itali, Platonici, Ecclesiæ Patres atque Scholastici, quos appellant, aureum ordinem sequi studet. Sancto Thoma præcipuo magistro utitur. Scienties summoque honore, quamvis libere incedens, eum commemorat. Verba etenim Aquinatis ætatis nostræ necessitatibus æquare summopere curat, cum non dubitet quin veritas suum habeat cur-

sum, et, quamvis nunquam mutata aut mutabilis sit, alios atque alios vultus sumere debeat et multipliciter aptari, hominis indomito progrediente spiritu.

Duo hac de re Rosminio stint exprobrata: S. Thomæ sententiam non satis recte eum explanavisse, Germanorum autem placita Christianæ fidei accomodare sperasse.

Ad primum quod attinet, nulla adhuc concordia; porro verisimilius est fore ut libera, severa, et diligentior pleniorque investigatio Rosminio denique, ut in aliis, et in hac re assentiri cogat. Quoad alterum, vanum et iniustum esse convicium affirmare licet. Nam philosophiæ problemata novo, differenti cautioreque modo, recentiorum merito, referenda agnoscere longe abest ab erratis sumendis et veritatis nomine fucandis.

Atqui Rosminius recentiorum quidem merita agnovit, sed errata audacter recusavit. In hac quoque re recentes viri non leviter studiosi de Rosminio recte iudicare solent, fabulam abrogando quæ Roboreti philosophum Italum quendam Kantiuni ostendere conatur, Kantii potius adversarium fatentes, sicut et Hegelii est; testantes ab ipso solam demonstratam esse viam Idealismum, Pantheismum, Ontologismum, Scepticismum et Relativismum, quæ vocantur, sub dissimilimissis semperque novis formis, non vana spe sed certa victoria, impugnandi.

Rosminius enim, inquiunt, nobis præbet ab opinionis arbitrio seiunctam et absolutam veritatem cognoscendi certitudinem, τὸ εἶναι definitam naturam, legis moralis religionem, humanæ libertatis vindicationem, consiliorum morunque omnimodam concordiam, a naturæ ordine ad eum qui naturam excedit facilem transitum, cum perfecto, sublimiore consensu. Nam Rosminii omne studium in morum et religionis fundamento firmando consistit. Contemplativæ quæstiones logice antecedunt, ideoque in communibus disputationibus principatum obtinent; res vero moralis in metaphysicis; alterum tamen sine altero esse non potest.

Meminerimus Rosminium sic habere: τὸ εἶναι unum exstare, tribus autem formis mutuo obnoxiiis, adeoque unamquamque duas reliquas accire; quarum unam τῶν ὄντων seu *realem* vocat, alteram

idealem, tertiam moralem. Trinæ autem hæ formæ trini quidam vultus sunt unius τὸ εἶναι mutuo ordine obnoxii; forma tamen moralis τὸ εἶναι, quod simul ex sua vi reale, ideale et morale est, coronat, ut ita dicam, et absolvit.

Quæstionibus igitur, quæ circa mores versantur, Rosminius animum quam maxime intendit. Idea τοῦ εἶναι in opere, quod, «Nuovo Saggio» inscribitur (a. 1830) ut forma humanæ mentis oblata, in eo quod inscribitur «Principio supremo della morale» (a. 1832) ut morum suprema lex ceterarumque legum fons statim offertur; quæ lex ita se habet: «Factis et suo ordine τὸ εἶναι agnoscito, quod contemplative nosti».

Morum præcepta a Rosminio tradita exteriorem habent legis latorem, non itaque ab homine sed homini dantur, qui libenter libereque obsequens bonum morale consequitur. Hominis voluntatem atque libertatem præter cætera Rosminius perscrutatus est, necnon animi substantiam eiusque proprietates, operationes, originem. Ab ethica contemplativa facili ac obvio tramite ad partes eius applicandas venit, nempe ad puerorum et populorum disciplinam (vulgo *Pedagogia e Politica*).

Rosmini puerorum instituendorum ars et scientia, omnes de eius ratione et via, de libertate, de unitate educationis quæstiones complectens, catholica et optima, summo consensu probata est, idque a pluribus etiam qui eius fundamenta idearum et rerum rationi innixa, – non equidem satis constanter, – renuunt. Eiusdem populorum disciplina (*Politica*) et Juris Philosophia omni laude maiores habentur.

Cum singulorum hominum tum populorum educationis exemplum a Deo petit, qui genus hominum rerum vicibus educat, (eiusdemque leges in libro qui *Theodicea* inscribitur perquirat), itemque ab Ecclesia Christi, quam generis humani cœtum ipsum supra naturam evectum esse indicat.

In Rosminio maxime movet, (quod equidem assidue spectavit), ab ordine naturali ad eum qui naturam excedit obvia transgressio. Duos hos ordines absimiles nec commisceri posse statuit, sed inter se iunctos et lege quadam metaphysica, quam sæpe repetit et *legem* appellat *concordiæ* (italice – del *Sintesisimo*), convenientes. Hominum

unusquisque necnon societas Jesu Christi gratia perfici et absolvi debet.

Omnia contemplativa eius scripta hoc unum spectant, ut *gratiae* denique effectus illustrent. Religiosus ex vi sua scriptor Rosminius est, etiam cum de rebus religioni aversissimis disputat.

Inter recentiores, qui tam alacrem habeat sensum Christi, alium haud facile reperias. Ecclesiae Patres repetere oportet, quibuscum Manzonius quandam convenientiam in primis eius scriptis invenit. Infirma hominis in naturali statu patefacit; sed hominem supra naturam evectum incitato ac fervido stilo, firmissima tamen doctrina extollit. Evehitur autem homo, eius sententia, intima et certa, non commenticia. cum Christo iunctione. Eius doctrina de hac re vitam christianam novo firmioreque impulsu dirigendi vim habet. Baptismo homo Christum percipit, sicque recreatus novus homo fit, novo sensu, intellectu et voluntate praeditus, scilicet hac perceptione supra naturam evectus, mira similitudine legis qua τοῦ εἶναι ideam intuens et res intellectu percipiens intelligens fit et omnium intelligentiae actuum capax.

Omnis eius sancte vivendi disciplina huic fundamento firmissime innititur. Et in hac progressio quaedam cerni potest: libellus cui titulus «*Massime di perfezione*» nonnullae epistolae et sermones differunt a sermone «*De Charitate*» et «*Introductione in Euangelium S. Joannis*».

Sed priora scripta posterioribus necessario praesumuntur, quae absque prioribus explicari nequeunt. Haec disciplina, factis accomodata et explicata, Christianam pietatem certa admodum manifestaque arte dirigere valet. Rosminius quidem scriptis suis vitam maxime adhaerentem gessit. Omnem suam paginam in usum deduxit, formam quodammodo et speculum vitae. Inde vis illa ad persuadendum apprimè accomodata, ingenuitas et altitudo, quas quisquis sincero animo cum legit, sentire solet, dum Sanctorum aura cernit circumfusum. Hanc catholicorum hominum summæ virtutis vitam semper appetiit, nunquam impatientem, nunquam reluctantem se praebens, Sanctae Ecclesiae eiusque Pastori Summo verissima et incredibili pietate obsequens.

Documentorum, quæ de Christiana perfectione tradit, hoc est secundo loco positum: «*Omnia consilia et opera ad Jesu Christi Ecclesie incrementum et gloriam dirigo*». Vitæ eius curriculum hoc habuit triste quod in suspitione, crimine et infamia fuit, quasi Christi Ecclesiam languide diligeret, cum diligeret vehementer; quod Ecclesiæ ac Romano Pontifici insolenter rebellans visus est, cum summi eius hi amores essent et deliciæ.

Ut Religiosorum suorum Societas Summi Pontificis ductu moveretur, inde a primordiis illi curæ fuit, nec aliam formam voluit illi dare quam a Christo datam Ecclesiæ; finem omnino communem, charitatis cuiusvis generis (corporum, intellectuum et spirituum, pastoralis cura non excepta) exercitationem; quolibet se conferre potest; in animarum Pastorum utilitatem nata, nec nisi eorum assensu et ductu existere et operari debet; omnem hominum ordinem, etiam aliis religiosis Societatibus non idoneum, complectitur; plures partes comprehendit, veros Religiosos, Filios Adoptivos, Adscriptos, (et inter Religiosos quosdam, qui vocantur Coadiutores interni et externi); ea vero quæ Societatis actionem repræsentat, nempe Presbyteri, peculiari voto erga Romanum Pontificem astringuntur; distributio in Provincias, Dioeceses, Parœcias, Ecclesiæ circumscriptionum distributionem imitatur.

Optima quæque eorum quæ philosophia per ætates nobis tradidit, sensu quodam ardenti sed composito Italicæ charitatis et catholicæ sinceræque pietatis perfusa, in Rosminium confluxerunt; omnes recentiores quæstiones perspicue scienterque concepit idque mira cogitationis licentia, quæ doctarum mentium in eum studia acuit, quibus vir magni et universi ingenii, eorum usibus obviis, apparet.

Tanta doctrina, plus quam humana, demissa et assidua Christianæ vitæ consuetudo, et præsidium quod multi piorum hominum ab eius beato spiritu impetrare solent, bona sunt omina, quibus confidimus tempora Rosminio suffragatura.

Alexander Manzoni et Nicolaus Tommaseius (qui Patavii una cum Rosminio studiorum causa commoratus est, vir litteratissimus et Italiæ acerrimus civis), huius futuræ Rosminii gloriæ in animo iam tum in vita spem certam habebant.

Christianæ perfectionis documenta

Proëmium

De christiana perfectione generatim

1. Christiani seu Jesu Christi discipuli omnes, cuiuscumque demum cœtus vel conditionis sunt, ad morum perfectionem a Deo vocantur; namque vocantur omnes ad Evangelium, legem scilicet omnimodæ perfectionis, omnibusque pariter divinus Præceptor: «*Estote, inquit, perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est*».

2. Evangelica morum perfectio duplici præcepto christianæ charitatis, Dei videlicet et proximi, prorsus adimplendo continetur; ex quo efficitur voluntas illa atque conatus christiani hominis, ut omnibus studiis actibusque vitæ suæ, si qua ipsi in terris facultas, in Deum enitatur; hæc enim illi præcipiuntur: «*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua*», et «*Diliges proximum tuum sicut te ipsum*».

3. Perfectam hanc amoris formam, cui persequendæ adsidue incumbere debet Jesu Christi discipulus, tribus, quæ maximo usui sunt, subsidiis, vera scilicet et actiosa *paupertate, castitate, obœdientia*, voto profitenda, facile consequetur.

4. Triplex Evangelii consiliorum professio *religiosam*, quam vocant, *perfectionem* efficit, quæ non omnibus Christianis communis est, sed illorum tantum Christi discipulorum propria, qui magnanimi sunt, quique divitiis, voluptatibus suaque ipsorum voluntate reapse se abdicant, quo liberius omni sua caritate Deus et proximum complectantur.

5. Religiosus sodalis, seu Christianus qui trina Evangelii consilia veræ paupertatis, castitatis et obœdientiæ profitetur, tria hæc subsidia ad illam amoris perfectionem, ad quam ceteri eius fratres, omnes Christiani, a Deo vocantur, in dies augendam dirigere debet.

6. At Christianus qui evangelica consilia non profitetur, ad illam tamen divini amoris perfectionem contendit, cui deditus est, quamque in sacro baptismate Deo vovit, non tantum ab eiusmodi consiliorum executione contemnenda cavere debet, ut ait Angelicus Doctor (*Summa* II,II^æ, 186,2), verum etiam optima ducere et amare, ac sibi propterea eam appetere animi magnitudinem piūque veritatis intellectum, quo fit, ut homo tam apta subsidia ad animum curis omnibus ac impedimentis, que totam mentem totamque vitam caritate in Deum dirigere vetant, evacuandum, sibi usurpare iisque uti constituat.

Qui communem vitam vivit divina illa consilia aspernari nonnunquam ausus erit, intimo sui amoris instinctu illectus, qui in aliis animi præstantiam agnoscere non patitur. Verum sola animi demissione, quæ ut modeste de se sentiat merito efficit, quippe qui in regno Dei multo humiliorem statum quam religiosum se habere non ignoret, Deo suo prorsus placebit, et quicquid animi magnitudinis piæque ipsi deest, adimplebit.

7. *Perfecta caritas*, qua omnium Christianorum moralis perfectio constat, cum totum hominem in suum Conditorum trahat, *omnimoda hominis dedicatio seu sacrificium Deo* definiri potest, ad exemplum Unigeniti eius Filii, Redemptoris nostri Jesu Christi; qua dedicatione ipse sibi statuit nullum finem ultimum in omni opere se habiturum præter Dei cultum, neque aliud profiteri velle aut ullum bonum vel delectamentum in terris appetere, nisi ut Deo placeat et serviat.

8. Hinc fit, ut Christianus moralis perfectionis, ad quam a Deo vocatur, sequendæ cupidus, id quod Deo gratissimum existimaverit, eiusque gloriæ ac voluntati maxime conforme, in omnibus vitæ operibus semper se acturum decernere debeat.

9. Ut autem noverit quæ in vitæ suæ ratione divinæ voluntati conformentur, Divini Præceptoris eiusque cœlestia præcepta præ oculis semper habeat, ac secum ipse meditetur, opus est.

10. Quæ quidem duo respiciunt capita, hisque totum Evangelium revoces, scilicet:

1. Finem operandi, quem Christianus columbina simplicitate, semper prospicere debet, notionem eius maxime perspicuam atque distinctam ideo sibi comparans;
2. Subsidia, quibus finem, anguina prudentia, consequi possit,

Adnotatio

Tria documenta quoad finem, tria quoque quoad subsidia sibi proponere perpetuoque meditari debet homo Christianus, sex omnino documenta, nempe quæ sequuntur:

- I Deo tantum et infinite placere seu iustus esse studeto;
- II Cogitationes tuas et tuas operationes omnes ad Jesu Christi Ecclesiam augendam atque illustrandam dirigito;
- III In omnibus quæ divino Numine non tibi tantum, verum etiam Jesu Christi Ecclesi eveniunt, perfectam securitatem servato, pro ea operans divinitus accersitus;
- IV Divinæ Providentiæ te ipse committito;
- V Nihil te esse penitus agnoscito;
- VI Omnia vitæ tuæ negotia spiritu intellectus disponito.

Jam sena hæc documenta senis quæ sequuntur lectionibus pertractanda erunt.

II – De primo documento, quod est: *Deo tantum et infinite placere, seu iustus esse studeto*

1. Qui homo «*ex toto corde, in tota anima et in tota mente sua*», ex Evangelii præcepto, Deum diligit, cum nihil boni Deo, qui omnia obtineat, reddere valeat, recte saltem se gerere cum eo studet, infinitas eius summasque virtutes agnoscens, et in omni suo actu obsequium, subiectionem et adorationem quam maximam ei tribuere: videlicet Dei gloriæ tantum et infinite studet.

Cum autem obsequio et gloria, Deo tribuitur, hominis sanctitas constet; Christianæ religionis perfectio sanctitatis quam maxime adipiscendæ curam reposcit.

2. Nullum autem maius Deo obsequium homo præstare valet, quam ut suam divinæ voluntati subiciat, eidemque conformari quam maxime suam voluntatem exoptet; adeo ut quicquid Deo gratissimum ceteris quibusvis rebus præponere eum non pigeat, cum hoc unum studeat, Deo quam carissimum esse, hoc unum suum bonum ducens semperque flagitans.

3. Deo autem cari cum efficiamur iustitia, ideo iustior meliorque in dies ut evadat, Christiano flagitandum est.

Numquam in hac re satiari aut acquiescere debet, semperque magis atque magis flagitare, summopere confisus Deo se cariorem fore, quo id magis a Deo flagitabit, simul se confirmans illis verbis: «*Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam saturabuntur*» (Mt 5,6). Illi enim qui Christianam religionem profitetur eo solummodo omnia conferenda sunt, ut iustior quam est etiam atque etiam esse con-

cupiscat; quam iustitiam sine intermissione aut modo ullo infinite postulet, unde tam arcte unum fiat cum Jesu, quam Jesus *unum* est cum *Patre*.

Sit sane inexplebilis; nunquam nimium poscere arbitretur; spiritualibus copiis Divini Patris bonitati, cui innumerabiles et ultra quam innumerabiles sunt thesauri, explendum se permittat. Noverit Ipse qui faciat, et eo magis quo insatiabilior erit eius petitio, ut in dies magis sanctificetur atque cum pura Divinitate iungatur et idem fiat. Spondet Jesus: «*Quidquid petieritis, inquit, Patrem in nomine meo, dabit vobis*» (Jo 16,23).

Jesus exemplo impellit; quamlibet iustitiam a cœlesti Patre petere cogitet, hanc noverit Christum iam antea pro ipso petisse ea quidem precatione, cui satis fieri omnino oporteret; in qua iustitia, quam tali prece obtinuit, electorum Ecclesiam indelebilem Christus fundavit.

4. Accipe Jesu precationem qua confirmetur discipulus ad cœlestem Patrem exorandum, ut usque justior fiat: «*Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus quia tu me misisti. Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me; ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut et me dilexisti*» (Jo 17,20-23).

5. Discipulo igitur tantum erit desiderandum justitiæ ac tamdiu, dum reapse contingat, ut caritate consummatum sit, «*nec jam ipse vivat, ut aiebat Apostolus, vivat vero in ipso Christus*» (Gal 2,20).

6. Porro hoc desiderium iustitiæ, nulla limitatione vel modo adhibito, purum et admodum simplex in eo fieri oportet; quod consequetur, si secum et totus in se ipse collectus, omnimoda pectoris solitudine atque ab omnibus externis rebus mente seiuncta, adsidue iteraverit; sicque collectus semper idem orare debet, juxta ea verba: «*Vigilate omni tempore orantes*» (Lc 21,36); necnon perscrutari, num id desiderium a ceteris omnibus vere solutum et vacuum factum sit, ita

ut in omnibus rebus nihil studeat præter hoc unum, ut melior, ut justior sit, seu quod idem est, Deo carior eidemque probator.

7. Nihil vero vel parum perturbari debet Christianus, vel subsistere, si externa ex sese animus eius commovent; in suum collectum pectus ipsi confugiendum, ibique meræ iustitiæ desiderium nulla cunctatione reintegrandum, donec eo perveniat, ut nihil iam in terris aut multum aut parum præsentis animo velit, nisi justitiæ intuitu, nempe ut Deo suo quam acceptissimum faciat.

8. Intelligat necesse est, (nec id facile factum), huic justitiæ desiderio cetera omnia subicienda. Liberum enim cuiusvis rei desiderium hoc uno gigni oportet; scilicet quidvis aliud desiderandum erit, quatenus id justitiæ congruat, justioremque Christianum efficiat, non autem quatenus aliud bonum ab hoc uno dissimile in se habeat.

9. Cum vero expleta et perfecta justitia a Deo immediate proveniat, non ab alia re; ideo ipsi nihil aliud diligendum, nisi quando-cumque id noverit a Deo electum esse subsidium ad ipsius sanctificationem: diligenter autem sibi est cavendum, ne hoc ita se habere arbitretur (quod plurimis contingit) propter occultum in rem illam amorem; illi contra sic habendum, omnia in manu Dei ad sua consilia instrumenta pariter apta evadere; Dominum sæpe numero libenter suas ostendere vires, iis ad sua consilia instrumentis utendo, quæ natura ineptissima esse videantur; nullum vero homini de hoc negotio iudicium esse proferendum priusquam de humanarum rerum usu excelsam suam voluntatem ipsi prodiderit Deus.

10. Christianus autem Deo infinite carus esse cupiens, hoc ipso vera quæque bona sibi cupit, etenim ut Illi carus sit, cupiat necesse est. In eo igitur desiderio omnia, quæ concipi possint, proba desideria continentur; quamobrem, qui est in tam vehementi desiderio, omnium salutem, et ea quidem ratione, qua Deo libet ab eoque decernitur, implicite desiderat.

III – De secundo documento quod est:

*Cogitationes tuas et tuas operationes omnes
ad Jesu Christi Ecclesiam augendam
et illustrandam dirigito*

1. Qui supremo illo justitiæ desiderio afficitur hoc primum in pectore suo desiderat, Jesu Christi Ecclesiam augeri et illustrari. Quisquis justitiam desiderat, desiderat omnem, quæ esse possit, Dei gloriam, acceptissima quæque Deo desiderat. Atqui Christianus ex fide novit omnes cœlestis Patris delectationes in Unigenito eius Filio Jesu Christo repositas esse; Filii autem unigeniti Jesu Christi delectationes in suis fidelibus, ex quibus eius regnum constat, repositas esse novit.

2. Nunquam ergo errare potest Christianus cum totam Ecclesiam sanctam suis studiis, consiliis, desideriis atque operibus spectat; quippe qui in hac parte Dei Voluntatem exploratam habeat, nempe Deum velle, ut Jesu Christi Ecclesia magnum subsidium sit quo sanctum ipsius nomen illustretur.

3. Potest quidem homo dubitare de singula re qualibet, utrum hoc an illo modo velit eam suæ gloriæ subsidium facere; sed de Jesu Christi tota Ecclesia dubitare non potest; scit enim pro certo, eam institutam esse quasi magnum instrumentum ac subsidium, unde Ipse gloriam consequatur coram omnibus naturis mente ditis.

4. Non sane idem pro certo habeat, si de una tantum parte, Ecclesiæ magno corpori non necessaria, agatur. Ad universam Jesu

Christi et intaminatam Sponsam omnia studia sua conferre debet, non ita vero ad omne id quod eius partem constituere potest, nec tamen Deus, an vere et firme ad eam pertineat, patefecit. Nullum denique singulare subsidium, quod in se perspectum, volente Deo, eius gloriæ subsidium esse possit, sine ulla limitatione aut condicione ab eo est adamandum; quis scit enim an subsidium illud Deus a se non reiciat, cum eius viæ hominis mentem et oculos fugiant?

Sed, si tota Ecclesia respiciatur, nihil dubitandum; hanc Ipse elegit gloriæ suæ adminiculum, nec unquam pœnitebit per omne interminatum æternitatis ævum.

Igitur si Christianus, suos vocatus morumque perfectionem sequi certus, nihil facere instituit, nisi Jesu Christi gloriam in omnibus rebus quærere, necessario inde fit, ut eius vitæ institutum e viribus suis in Sanctæ Ecclesiæ famulatum tantum insumendis pendeat; de hac, quacumque ratione potest, illi sit cogitandum; pro hac suas consumere vires et ad Jesu Christi Martyrumque exemplum suum fundere sanguinem illi studendum.

5. Sancta Jesu Christi Ecclesia in eam partem dividitur quæ viatrix est hic in terris, et in eam quæ in cœlos ad exitum pervenit aut mox illuc perventura pœnis purgatur. Novit has Ecclesiæ partes æque ac terras duraturas, Ecclesiam autem triumphantem, in æternum: namque hæ duæ pariter quasi instrumentum et sedes gloriæ Dei in Christo Jesu, earum principe atque rectore, electæ sunt. Christiano igitur hæ duæ partes, utpote membro tam Augusti corporis, in Christo Jesu sine ulla limitatione diligendæ sunt, et pro his sudorem et sanguinem fundere cupiendum.

6. Idem novit ex verbis Jesu viatricem in terris Ecclesiam in quadam petra esse fundatam, contra quam portæ Inferi prævalere nequeant, in Apostolorum Principe, Sancto Petro, eiusque successoribus Romanis Pontificibus, qui primas Jesu Christi vices in terris gerant.

Cum ergo constet ex divina revelatione, Divino Conditore volente hanc sedem electam esse, ita ut nunquam deficere possit, hac

electione dicas præcipuam et necessariam Jesu Christi Ecclesiæ partem eam esse cœpisse, cœteræ eius partes existimari non possunt nisi fortuitæ; non est enim certo promissum has singulariter sumptas aliquandiu non esse perituras. Igitur Christianus in Romani Pontificis sedem studium et devotionem et reverentiam sine ullo modo in se fovere debebit; sino ullo modo veram sanctamque gloriam, decus, prosperitatem huius præcipuæ partis intaminatæ Jesu Cristi Sponsæ adamare et comparare tenebitur.

7. Quod vero attinet ad illam Sanctæ Ecclesiæ partem quæ jam ad exitum pervenit, ut pars jam suo incremento formaque plena prædita Christiano assidue erit aspicienda.

Huius rei desiderium in se excitare et constanter augere debet, ut omnes Ecclesiæ sodales, aut certe quotquot ab æterno ad hoc prædestinati et electi sint, ad illam consummatam perfectionem perveniant; sicque universum Jesu Christi regnum adveniat et circa Eum congregetur, unde eius gloria ac triumphus in omnia sæculorum sæcula impleantur. Sic enim placet divinæ voluntati, hocque Deus ipse delectatus est ab æterno; quapropter hic, ut divinæ voluntatis finis ultimus est, ita Christi fidelis finis ultimus esse debet.

8. Verum is finis evenire nequit quin terrena omnia antea pereant; quin ipse moriatur, eiusquæ corpus pulvis fiat; quin mundus omnis denique deleatur et iudicetur. Christianus igitur hoc ipsum cupiet; scit etenim hanc esse a Deo præstitutam rationem, qua Dei gloria plenissime obtineatur et Jesu ingens triumphus. Ergo quemadmodum illi semper præ oculis cœlestis gloria est habenda, ita et præ oculis semper erit habenda in omnibus suis actibus ceterarum rerum fragilitas, repentinus earum transitus ac mors, quasi conditio extremæ in cœlis requietis.

9. Procedet igitur in hac vita quasi cotidie omnia deserturus, quasi in omni puncto temporis moriturus, nihil sibi longe prospiciens, sed illa divini Præceptoris in corde retinens: «*Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes in manibus vestris; et vos similes hominibus*

expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, quos, cum venerit dominus, invenerit vigilantes! Amen dico vobis, quod præcinget se et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, beati sunt servi illi! Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati; quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet» (Lc 12,35-40).

IV – De tertio documento quod est:

*In omnibus quæ Divino numine non tibi
tantum, verum etiam Jesu Christi ecclesiæ
eveniunt, perfectam securitatem servato,
pro ea operans divinitus accersitus*

1. Cum Jesu Christo soli omnium rerum et in cœlo et in terra potestas sit, et omnium hominum summum imperium habere meruerit. Hic idem inenarrabili sapientia, potentia, bonitate eventus omnes juxta divinam suam voluntatem, ad maximum bonum electorum suorum, Ecclesiam dilectam eius Sponsam constituentium, solus moderatur.

2. Christianus ergo perfecta debet frui securitate plenumque gaudium servare, in Domino suo prorsus quiescendo, quamvis eventus eidem Ecclesiæ contrarii videantur; gemitus tamen atque obsecrationes non intermittens, ut fiat voluntas eius sicut in cœlo et in terra, nempe ut in terris homines eius sanctum caritatis præceptum observent sicut Sancti in cœlo.

3. Debet itaque Christianus omnem a pectore suo metum, omnem angorem et sollicitudinem depellere, eam quoque quæ Jesu Christi Ecclesiæ solam utilitatem interdum spectare videatur, multoque minus audacter sperare iis calamitatibus posse a se remedium afferri, priusquam huius negotii Domini voluntatem apertam conspexerit.

Meminerit solum Jesum Christum suam Ecclesiam regere, nec quicquam Illi odiosius eiusque discipulo indignius esse, quam teme-

ritatem eorum qui, mentis caligine et occulta superbia capti, ab Eo non accersiti aut impulsivi, quicquam boni, quantumcumque est, in Ecclesia, sua sponte facere audeant; tamquam si Divus Redemptor eorum misero auxilio vel cuiusvis hominis indigeret. Nullius eget Divus Redemptor ad suæ Ecclesiæ decus acquirendum, quod in redimendo a peccato, in quo omnes homines æque insunt, positum est. Isque sola gratuita sua misericordia eos ex redemptis assumit, quos ad hunc honorem tollere amat, ad maxima opera infirmissimum quodque ac maxime mundi oculis contemnendum ex more adhibens.

4. Ut concludamus igitur et quidquid de fine, quem Christianus sibi proponere et in omnibus suis operibus præ oculis habere debet, a nobis dictum est, in epitomen cogamus, hunc finem esse oportere perspeximus: *primum*, iustitiam seu sanctitatem, ex qua Dei gloria pendet; *secundum*, Jesu Christi Ecclesiam, ut adiumentum a Deo decretum ad eam gloriam consequendam; *tertium*, Jesu Christi accitum, Eius scilicet qui sapiens ad suum arbitrium Ecclesiam regit, ut Deo maximam afferat gloriam.

★ ★ ★ ★ ★

Adnotatio

Ita emendato et correcto consilio ac, quem supra declaravimus, proposito sibi fine, ad quem omnes vitæ operationes convertat, Jesu Christi assecla etiam subsidia scire et statuere debet, quibus id quod optat consequatur; quæ quidem inveniet, si suos mores iuxta tria documenta direxerit, de quibus in subsequentibus lectionibus disseritur.

V – De quarto documento quod est:

Divinæ Providentiæ totum te ipse committito

1. Nullum aliud documentum ad peculiarem animi tranquillitatem et æquabilitatem Christiani hominis vitæ fortasse magis prodest.

2. Nullum aliud, si ea sinceritate et animi magnitudine, quam exigit, factitetur, Christi asseclam cœlesti Patri cariorem efficiat; quippe quod complectatur plenam in Eum, Eumque unum, fiduciam; plenam a terrestribus rebus omnibus, et iucundis et validis et specie præclaris, secretionem; tum blandum et soli Deo reservatum amorem; inextinctam denique fidem, qua minime ambigas, mundi omnia cum parva tum magna in cœlestis Patris manu pariter pendere, nec quicquam efficere, nisi sicut ad altissima sua consilia consequenda Ipse decernit; fidem scilicet in bonitatem, misericordiam, liberalitatem largitatemque infinitam cœlestis ejusdem Patris, qui omnia moderatur in commodum sibi fidentium; ita ut eius dona, blanditiæ, curæ atque gratiæ respondeant fidei, quam dilectissimi eius filii Ipsi habent.

3. Nullum aliud documentum verbis et exemplo Divinus Præceptor magis commendavit. Accipe sermonem quem ad discipulos habuit, ut confirmaret in insectationibus, quibus ab hominibus vexandi erant: *«Dico autem vobis, amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete. Nonne quinque passeress veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus plures estis vos.*

Ideo dico vobis: Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid Anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum. Considerate corvos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum; Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitando potest adicere ad staturam suam cubitum unum?

Si ergo neque quod minimum est, potestis, quid de ceteris solliciti estis? Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant neque nent; dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. Si autem fœnum, quod hodie est in agro et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos pusillæ fidei? Et vos nolite quærere quid manducetis aut quid bibatis, et nolite in sublime tolli: hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis. Verumtamen quærite primum regnum Dei et justitiam eius; et hæc omnia adicientur vobis.

Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis et date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropriat neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit» (Lc 12,4-7; 22-34).

4. Ecce quam abunde Divinus Præceptor docet quo modo fidelis eius discipulus in Divinæ Providentiæ misericordes manus se proicere debeat.

5. Discipulus hinc *primum* discit suam plenam infinitamque fiduciam in Jesu ipso niti; ait enim iam ab initio cum suis *amicis* se hæc verba habere. Amicorum autem nomine non perfecti tantum accipiuntur, sed Christiani omnes; inter quos et ipsi peccatores; suos amicos appellat, quos in amicorum numero habuit, quibus Evangelium aperuit; quamobrem se quisque valde consolari debet secum reputans hoc amici nomen ab Eo ne Iudæ quidem, ad Ipsum prodeundum venienti, recusatum esse.

Dummodo ergo quis in Jesum credat, in hoc ipso cui credit, infinitæ in cœlestem Patrem fiduciæ fundamentum habet, quæ nec propter ipsas culpas illi est amittenda.

6. *Deinde* intelligit, ut in divinæ Bonitatis manus totum se proicere æquum, ita sibi confidere stultum esse; homo enim infirmissimus est, nec minimam partem universitatis rerum omnium a Deo decretum cursum immutare potest; se ipsum prosperare, imo et esse, in Dei potestate omnino positum est; ex qua nihil eum subducere potest, quidquid facit, quocumque confugit; etsi cœlos penetrare aut in profunda mergi valeret.

7. *Tertium* discit, cum huiusmodi argumentis adducatur ut infinite cœlesti Patri confidat, humana vel omnia deserere, omnia sua vendere et dare pauperibus, veram denique paupertatem profiteri sibi non esse verendum, dum hoc faciat divinis rebus unice vacandi causa, seque Deo totum tradendi, regnum Dei eiusque justitiam querendi, omnia terrestria studia e pectore eiciendi; ne plura, dum hoc faciat Christum sequendi ac eius nudæ cruci sese iungendi causa, et in ipsa cruce terræ moriens et soli cœlo vivens; ubi enim thesaurus eius, ibi et cor est.

8. Discit autem quartum, quamvis de humanis rebus angi veter, quæ abdicanda moneatur, non vetari se tamen cœlestem Patrem poscere quæ necessaria sunt, dummodo hæc poscat, quæsito ab eo ipsius regno eiusdemque justitia et huius intuitu; ita ut cotidianus, quem poscimus, panis, bona quaque significatione, supersubstantialis vocari possit, scilicet et ipse bonorum animi omnium subsidium.

9. «*Petite et dabitur vobis, inquit alias Divinus Præceptor, quærite et invenietis; pulsate et aperietur vobis. Omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit; et pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis homo quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?» (Mt 7,7-11).*

10. Quæ Christianum docent a cœlesti Patre magna cum sinceritate et fide omnia postulare, sui animi vota illi aperire, modo id faciat hoc unum studens, ut quæ ei maxime libuerint, semper fiant;

sic enim ex precatione sua multum proficiet quia Deus utique exaudiet, et simul eius inscientiam agrestemque asperitatem corriget, si vana vel damnosa petierit, illi satisfaciens, totidem vera bona sicque plura petitis tribuendo; cum pater sit qui filiis suis bona dare noverit, nunquam vero noxia.

11. *Quintum* intelligit nefas non esse omnia peragere, quibus vitæ necessitatibus satisfit; illi sollicitudo, illi anxietas vetatur, qua rerum negatarum angitur desiderio, quæque proinde animi tranquillitatem illi aufert ac securitatem in Deo quiescentium peculiarem. Potest quidem in præsens divinam agnoscere voluntatem, et bonis quæ habet sincero pectore et grato animo perfrui; sed permissioni in divinam Providentiam adversatur futurorum studiosa cura, cum circa hæc divina voluntas nondum pateat, nec quicquam præter divinam voluntatem sit illi amandum; quod præstare potest, præsentibus bonis utpote a Deo datis modeste et innoxie fruens, sed de futuris nihil anxius; de his enim Dominus nihil adhuc constituit; eiusque voluntatem amans, eorum defectu, si ei ita placuerit, non minus quam comparatione gaudebit.

12. Quamobrem iterum Jesus: «*Quærite primum regnum Dei et justitiam eius; et omnia adicientur vobis. Nolite ... solliciti esse in crastinum; crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi; sufficit diei malitia sua*» (Mt 6,33-34): scilicet quas labe sibi infert conscientia, præsens diei negotiis consulens, ne augeamus etiam crastinum cogitantes.

13. Certum denique indicium Christiano datum, quo sciat an plenæ fidei in sui cœlestis Patris curam, quæ ei præcipitur, desit, hoc est, ut suum animum interroget, utrum de mundi bonis aut malis in pectore angatur, utrum prorsus securus, prorsus pacatus et in omni eventu ad omnia paratus sit, an anxietatibus subiciatur, an humanas curas habeat de quarum exitu angore vexetur, et, ut homo modicæ fidei, nimium speret timeatque, seu quod idem est, assidue fluctuet.

14. *Sextum* vero, cum christianæ vitæ perfectio certum consilium sit nihil aliud cupiendi in omnibus operibus, nisi quod Deo ac-

ceptissimum eiusque arbitrio maxime conforme sit, et hæc perfecta vita nihil sit aliud nisi institutum in omni actione maximum officium Deo præbendi, consequitur ipsos honestos actus, quos ad suam vitam servandam homo conficit, ipsis cum gratiarum actione divinis muneribus eum uti non oportere sui præsentis commodi aut voluptatis causa, sed tantum quod pro certo habeat in præsentiarum hoc Deo acceptissimum esse, ideoque perfectissimum.

15. *Denique* perfectus Christianus ad suæ præsentis, vel in se honestæ, delectationis ultimum finem nullius rei commutationem facit, sed sui officii causa et ut Deo carior sit.

16. Ex hoc documento provenit perfecti Christiani firmitas. Christianus mutationibus non gaudet; in quacumque conditione est, quamvis humilis et spernenda illa sit et omnium, quas diligunt homines, rerum egens, contentus hilarisque in ea manet, nec mutationem cogitat, nisi hoc Deum velle respectum habeat.

Hominum huius sæculi est nunquam sua sorte contentos vivere; huiusmodi homines assiduum inter se bellum gerunt, ut optimas sedes obtineant; perfectio autem Christiani postulat, ut quolibet loco contentus sit, nec quicquam curet, nisi ut condicionis suæ officia impleat; totus illi orbis par idemque est, dummodo Deo suo, quem in omni condicione invenit, acceptus sit.

17. Christianorum hæc constantia et in præsentis sua cuiusque condicione immutabilitas homines fingit sui vitæ status peritissimos, eius amatores eiusque munera facessentes, ut fragiles et caducas res humanas maxime decet! Quapropter S. Paulus Corinthiis his verbis tantopere hanc commendabat: *«Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum. De virginibus autem præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus a Domino ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? Noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? Noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit; tribula-*

tionem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est; reliquum est ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint; et qui flent, tamquam non flentes; et qui gaudent tamquam non gaudentes; et qui emunt tamquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse» (1Cor 7,24–32).

18. *Septimum* et postremum, Christianus, qui suam vitam ad hanc regulam dirigit, pari facilitate paratus erit nec eum pigebit mutare, cum divina illi, eorumve qui præsumt quique Dei vices obtinent, voluntas patebit; eiusque animus semper in aere illo æquitatis statu constituetur ac servabitur, quam S. Ignatius adeo commendabat, et suorum Exercitiorum, hoc est, totius spiritualis vitæ fundamentum posuit.

19. Hanc æquitatem consilium gignit non solum Deo serviendi, qui finis est ad quem omnes conditi sunt, sed etiam ei serviendi ratione ab eo præcepta atque optata, quod primum subsidium est ad magnum illum finem consequendum.

20. Christianus enim ratione non a se electa sed sibi ab Eo præcepta et optata Deo servire cupiens, eo perveniet (non ad animi proclivitatem quod attinet, sed ad suam liberam voluntatem), ut æquo animo accipiat quattuor illas conditiones a Sancto viro quem supra commemoravimus tam recte discriminatas, nempe quæ sequuntur:

- I. bonam aut infirmam valetudinem;
- II. divitias et commoda aut incommoda vitæ;
- III. mundi laudem aut probum;
- IV. longævam aut brevem vitam, quæ laboribus et cruciatibus brevianda sit.

21. Suum autem crebro animum explorans Christi discipulus, ut videat, an vere æquo animo indigentiam et divitias, laudem atque probum, bonam et infirmam valetudinem, longævam et brevem vitam accipiat, quantum profecerit in evangelicæ perfectionis itinere cognoscet.

22. Hæc quidem æquitas, quam Christianus officii memor assidue intendere debet, etiam ad tria illa redigi potest:

- I. ad illud, quodcumque ei concreditum erit, munus;
- II. ad eum, quicumque ei datus erit, habitationis locum;
- III. ad quamlibet, qua utatur, valetudinem.

VI – De quinto documento quod est: *Nihil te esse penitus agnoscito*

1. Jesu Christi discipulus intus in animo vitam solitariam perpetuo agere debet, ubi ceteris rebus, pæne dixi, dilapsis, tantummodo Deus sit atque ipsius spiritus.

2. Deum semper spectet oportet, ut eius maiestatem adoret; se ipse autem spectet assidue, ut suam magis in dies exploret infirmitatem et inanitatem.

3. Suæ inanitatis testimonia in animo inscripta Christiano semper habenda; primum quæ omnium rerum inanitatem ostendunt; deinde quæ hominem præcipue, tum quæ eius personam abiciunt.

4. Ut in comparatione rerum universitatis ipse atomos est, ita nihil est in comparatione Dei, a quo solo quidquid boni habet proficitur.

Delictum in quo conceptus est, ad malum proclivitas quam secum affert, et peccata, quibus se ipse imbuat, duo verissima illi persuadere debent: *primum*, per se ipsum nihil boni agere valere; *deinde*, non solum ad omnia mala ipsum idoneum, sed ita lubricum esse, ut omni temporis puncto delinquere possit, nisi Dei misericordia ipsi succurrat; quare juxta illud Apostoli «*cum metu et tremore propriam salutem operari*» semper debet (Phil 2,12).

5. Primum ex præcipuis his duobus verum ei suadeat oportet, ne quid aggrediatur, non solum ad suæ conditionis in hac vita mutationem, de qua superius diximus, quod attinet, sed nullius quoque cete-

rarum rerum causa, nisi ad id faciendum eo impellatur, quod sic Deum velle noverit. Fieri nequit ut sua sponte aliquid aggrediatur homo, qui ad quodvis bonum ineptum se putet.

6. Hic vero duæ animi inclinationes in Christiano esse debent, quæ contrariæ videntur, et concorditer una sunt; divinæ gloriæ proximique utilitatis maxima cura, una cum sententia se ad omnia bona inutilem esse, inutilem ad mundi calamitatibus medendum.

7. Quocirca illi Moysis demissus animus imitandus est, qui tam ægre credidit se ad Dei populum in libertatem vindicandum electum esse, et Deo ipsi benigno candore ac familiaritate respondens ab illo munere immunitatem petiit, quod lingua hæsitans, et, qui mittendus esset, desponsum Messiam, ut mitteret rogavit; et id quidem, licet sui populi salutis esset studiosissimus.

Mariæ Virginis demissus animus Christiano assidue meditandus et imitandus, quam in Divinis Litteris semper in pace, in tranquillitate et perpetua quiete depictam videmus; humilem tantummodo, segregatam tacitamque vitam degentem, eius quidem arbitrio, invenimus, ex qua nisi ipsa Dei voce, aut in cognatam Elisabeth caritatis sensibus, non retrahitur.

Hominum iudicio utens, quis credat de præstantissima ex humanis naturis tantulum in Divinis Litteris tradi? Nullum eius inceptum; vita autem, quam cæci homines perpetuæ inertiae appellant, at Deus omnium magnificentissimam, honestissimam summique animi esse pronuntiavit; propter quam humilis obscuraque Virgo a Maximo Deo ad maximam omnium dignitatum erecta est, ad elatius gloriæ solium, quam cuilibet non hominum tantum sed etiam Angelorum tributum!

8. Alterum verum in Christiano æquum gignere debet periculorum metum, quibus Divinæ Litteræ mundum scatere perhibent, cum Iohannes Evangelista omnia, quæ in mundo sint, pericula esse nobis autumare non dubitet.

9. Ideo Christianus, qui perfectus esse vult, vitam solitariam, silentium et assiduum negotium profitebitur.

10. Vitam solitariam ita profitebitur, ut absque necessitate, scilicet quin sui status officia seu proximi caritas recte assumpta ad hoc inducat, sibi domo non exeundum præscribat.

11. Silentium profitebitur otiosa verba omittendo, quolibet nempe bono consilio vacua ad sui vel aliorum incitationem, vel quæ minime opus sunt ad suæ vitæ officia et usus.

12. Denique maxime assiduum negotium ita profitebitur, ut ullam temporis particulam numquam illi terere contingat, hæc sæpe reputans: – tempus pretiosissimum esse – irreparabilia ea momenta, quæ nullo animæ fructu dimittit – horum quoque temporum, tamquam crediti ad negotiandum talenti, rationem se Deo redditurum postremum suæ perfectæ vitæ professione id postulari, qua professione Dei obsequio quam proxime et unice, ideoque totis viribus et toto tempore suo, vacare decernit.

VII – De sexto documento quod est:

Omnia vitæ tuæ negotia spiritu intellectus disponito

1. In tenebris nunquam ambulare debet Christianus, sed semper in luce.

2. Huius rei gratia a Spiritu Sancto assiduis precibus petat oportet donum *intellectus*, quo excelsa fidei vera intelligat et cupiat; donum *sapientiæ* quo de divinis rebus recte iudicet; donum *scientiæ* quo recte iudicet de rebus humanis; donum denique *consilii*, quo, singulis vitæ operibus quæ vera didicerit adhibens, sese dirigat.

3. Gravitas, circumspectio et maturitas in omnibus rebus debent insignire Christianum; festinatio et immaturitas, quæ hominis huius sæculi sunt, utpote contrariæ donis quæ commemoravimus et voluntatis humanæ semper trepidantis effectus, (quæ trepidatio pacem aufert a Divino Præceptore tam commendatam), illi fugiendæ.

4. Spiritus intellectus ad suam emendationem prius quam ad emendationem proximi eum retrahet.

5. A) Quoad sui emendationem et perfectionem, Dei voluntas ei facile innotescet, quam ex rerum adiunctis, in quibus constitutus erit, imprimis noverit. Juxta certissimam hanc rationem intelliget:

I. – Dei voluntatem primum hoc sibi præcipere, ut congrue, accurate et alacriter omnia sua munia expleat; ut omni necessitudini, qua ceteris hominibus coniunctus sit, satis faciat; ut omni humanitate

et observantia, quæ ex huiusmodi necessitatibus natura proficiscitur, eos colat; ut eos denique tam benigne tractet, ut, eo se delectari, fate-ri debeant, et cum hominibus quicum sibi agendum (solitariae enim vitæ studio eos quicum agere minime tenetur, vitabit) eius sermo suavitatis, sanctæ comitatis solidæque ad bonum incitationis plenus sit.

6. Eadem ratio, accepti a Deo status munera exequendi et omni suo tempore bene utendi, laboris ac præcipue artis vel negotii, quod sibi proposuit, amatorem efficiet; in quo erit sedulus; si quid in eo proficere valebit, hoc meritum apud Deum iudicabit, cum hæc sit Dei voluntas, ut status, in quo eum collocaverit, officia exequatur.

7. Christianus studiis deditus his vacabit, non ipsorum amore, sed Dei, cui servit; fabrilia tractans his incumbet eodem consilio; ita Christianus nullum unquam officium alio honestius putabit; omnibus enim officiis æque Deo servit.

Unusquisque suam partem implet, ut in magna eiusdem domini officina puer; ac sub diei finem unusquisque mercedem accipit non equidem pro artis genere quam exercet, sed pro fide, sedulitate, sollicitudine et amore in Dominum in ea exercenda.

8. II. – Post suæ condicionis munera, in quorum numero accipiendæ sunt Dei cultus exercitationes, reliquum tempus Christi discipulus impendet:

1. piis lectionibus, et ut religionis doctrinam bene discat, et ut Dei amplitudines, immensam bonitatem, omnipotentiam atque sapientiam meditetur:
2. supervacaneæ precationi, cui, etiam inter exercitationes eius quam profitetur artis, quam maxime poterit, operam dabit, quamque sibi familiarem et periucundam faciet, omnium etiam rerum iucundissimam ipsi esse opus erit, et illi impensa tempora ut deliciarum et gratiæ tempora erunt habenda; cum precatione homini, ut est, abiectissimo, ad

Deum suum regem aditus patefiat, et ad colloquendum cum Eo admittatur.

9. III. – Tertium, fas est Christiano sui temporis partem corporis necessitatibus insumere; quarum principatum obtinent cibus, qui parcus nec exquisitus esto, et somnus, qui ipse intra leges iusti modi esse debet.

10. Modicam etiam suæ lassitudini remissionem Christianus indulget; Christus enim exemplum illi præbuit, quæ ad vitam necesse sint, omnia exequendi; requiescendi quoque, verbi gratia, cum in navicula obdormiit, cumque ad Samariæ puteum sedit.

11. IV. – Quartum, vitæ eius condiciones, eiusque cum aliis coniunctiones, eiusmodi forte fuerint, ut evangelii consilia sequi, scilicet paupertatem, castitatem et obœdientiam re vera profiteri minime prohibeatur; quod si ita est, Christianus suum Divinum Exemplar quam maxime imitandi nec quicquam ad perfectam vitam pertinens, quod Divus Præceptor monuerit, negligendi cupidus, animose et studiose hæc consilia amplectetur, vel omnia, si eius condiciones patientur, vel aliquod eorum, si quod tantum suis condicionibus amplecti sinetur.

12. B) Quamvis nihil magni per se ipse conetur, cum videat se ad omnia inutilem, Christianus; quamvis solis suæ vitæ muneribus inhreat et contentus sit; quamvis secretam, quam maxime solitariam, tacitam et occultam vitam sibi eligat; fratrum tamen commoda aut incommoda non lente fert; pro eis orat; eorum felicitatis desiderio æstuat; eorum spirituali saluti vel se totum impendere et devovere paratus est, quotiescumque, quod pro illis faciat, non suo arbitrio et temere fieri, sed ab ipso quidem id cupere Deum, merito existimare potest.

13. Etiam in hac re, ut circa officia fratribus præbenda Dei voluntatem ediscat, spiritu intellectus dirigendus est.

14. Etiam quoad caritatem illi in fratres exercendam, externis rerum adjunctis præcipue ac plerumque Dei voluntatem ostendi solere, hic idem spiritus eum docet.

15. Quæ rerum adiuncta, unde merito ediscat, quosnam speciales caritatis actus in proximos exercere debeat, hæc sunt:

- I. – Si proximorum necessitatem in eius conspectum veniant, cum Sanctus Johannes: «*Qui habuerit, aperte inquit, substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?*» (Jo 3,17).
- II. – Si quod caritatis officium proximi ab eo reposcant; Divus enim Præceptor altero loco dicens: «*Estote perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est*» (Mt 5,48), altero autem loco docet cœlestem nostrum Patrem omnia quæ ab eo petimus nobis dare. Itaque etiam Christianus, si vult perfectus esse ut Pater cœlestis perfectus est, cum proximi ab eo petunt, omnia dato.

16. Ut caritatis opus quod ab eo poscitur bene exequatur, animose et jucunde præstare debet, siquidem divo ad vitam caritate perfectam accitu dignus esse velit; idque magno suo incommodo, magnis impensis, omni ferventi studio, quod quæ sua sunt nec quærit nec curat, sed semper aliena; caritate illa, qua erga homines Divus Præceptor usus est, cuius perfectionem nullis humanis fastidiis terminari ostendit, quippe quæ usque ad sanguinem et ad sanguinem in patibulo perveniat.

17. Ita evenit, ut humilis fervidusque Christianus, qui, quod ad se pertinet, vitam occultam, a periculis hominibusque remotam, vitam in assidua contemplatione totam, interque longas preces, studium et alicuius professionis vel fabrilis artis opera, et cotidianas necessitates brevemque quietem distributam tantummodo sibi præfert, e latebra sua, quam non desidia sed sincera modestia diligit, caritatis viribus sensim extrahatur et ad novam et industriam vitam perducat; idemque, Deo volente, in immensa curarum, molestiarum, rerum ac negotiorum grandium parvorum, nobilium despectorum,

colluvie defigatur, in proximorum commodum, prouti Dei voluntas hæc vel illa priora illius menti occurrere decreverit.

18. Tali spiritu intellectus Christianus charitate repletus, cum res postulat, maior se evadit, et maxima, laborum ac periculorum plena, denique omnia amplectitur, modo in animum eius Deus hoc inducat, earum rerum se facultatem habere; modo qui ei præpositi sunt ne eum prohibeant, ipse vero a proximis, in quibus Dominum suum semper aspicit, aperte vel tacite hæc facere flagitetur.

19. Christianus perfectæ virtutis amator, aliud alii sua sponte non præferens, hæc opera caritatis assumit.

20. Tria hæc ideo præcepta tenet:

- I. Ea caritatis opera amplectitur, quæ prima ab eo proximi petant, neque, futura dubia expectans, hæc unquam recusat, sive magna sunt sive parva, sive iucunda sive iniucunda, sive a quolibet prstanda sive ipsius solius propria;
- II. si plura simul caritatis opera petantur, quæ simul complecti nequeat, caritatis ordine servato, eorum electionem instituit, semper tamen cavens, ne ulla assumat quæ eius vires superent;
- III. denique nullo caritatis opere desistit aut id fastidit; omnia, si valet, ad finem perducit; si vero assiduum laborem hæc continent, præstat, nec ad alia assumenda, prter incepta, transit, in operibus assumtis tamquam in proprio vitæ instituto permanent.

21. Dei voluntas præterquam externis rerum adiunctis, quæ communior ratio est, etiam inusitatis mentis incitationibus innotescere potest, cum tamen externæ res omnino non repugnent.

22. Igitur Christiano contra suæ inanitatis conscientiam repugnare, alia opera, ac ea quæ vitæ suæ genus suadet, assumere licet, Sancti Spiritus instinctu, quo divina illi voluntas perspicue innotescit.

23. Verum huiusmodi animi incitationes probe explorandæ sunt, et sui pectoris occulta inquirenda, ne sui ipsius amoris voces cum illis misceantur, neu homo a dæmone forte decipiatur, qui in angelum lucis interdum se convertit; postremum valde prodest a spiritualibus præpositis eas confirmari.

24. Certissima autem et communis explorandæ divinæ voluntatis ratio, quæ sive externarum rerum indiciis sive mentis incitationibus patebit, securitas esse debet et placida voluptas, quam ex rebus capit in ima suæ mentis conscientia. Animum cogitationemque colligere debet, attendere autem sedulo num quid eum sollicitum faciat. Si sedulo attenderit, suæ condicionis indicium in hoc inveniet.

Sui amor et quodlibet mortale consilium semper aliquantulum hominem sollicitant. Hac sollicitudine in animi conscientia habita, eius causam, si voluerit, statim deprehendere poterit et in se discernere quod non a spiritu Dei mero, solidæ tranquillitatis spiritu, oritur, sed a suo spiritu, a callida superbia, a molliore animo non plane compresso, ab inimici denique fallacia.

25. Quæ omnia si Christiani, Divo eorum Præceptore docente, facessero, non in futura solum et æterna, sed etiam in præsentī vita placidam beatamque societatem iunctim constituerent.

De petendarum rerum ordine ex ratione Societatis a Caritate nuncupatæ

Caput I^{um}

De necessaria eaque optima petitione

1. Huius Societatis finis unus est, nempe ut justitiam quam plenissime persequamur, et exinde animæ salutem et perfectionem impetremus.

Adnotatio

Justitia, quæ salutem et perfectionem animæ præbet, caritate continetur, ut omnes curas cogitationesque nostras in Deum purissime conferamus; quæ caritas quo exquisitior est, eo plus perfectionis quis possidet. Caritas hominem Deo iungit, Deique quædam possessio est, quæ in æterna vita perficitur, ubi solida et perfecta illa possessio beatitatem constituit.

Cum justitia tum beatitas, hominis finis dici potest; sed justitia finis est quem homo sibi proponere debet; beatitas finis est quem Deus creans hominem sibi proposuit. Hominis natura beata esse necessario cupit; propter hoc ipsum beatitas officium non est; non est suoapte ingenio finis quem hominis voluntas sibi proponere debet,

sed quem sibi proponere potest, quemque sibi proponat omnino necesse est.

Quod si in beatitate, ad quam natus est homo, quod iuris inest consideras, tunc et beatitas finis est quem homo sibi proponere debet; scilicet justitiæ studio beatus esse cupiat oportet; beatitas amanda ut justitiæ effectus, ideoque ut res a Deo exoptata; Deus enim iusti hominis beatitatem exoptat; iustum autem hominem beatum esse iustissimum est.

Hoc ipso autem beati in cœlo sua beatitate præcipue afficientur, quod justam agnoscent; itaque in ipsa beatitate justitiam summopere diligunt, propter quam et in qua iustissimam laudabunt Dei voluntatem. Hac eadem causa scelestorum pœnæ ad augendam Sanctorum beatitatem pertinebunt, in quibus justitiam diligunt.

Itaque justitia supremus finis, seu cuiuslibet rei recte diligendæ extrema causa est.

2. Inde oritur, ut præcipua et necessaria precatio sodalium Societatis a Caritate nuncupatæ ea sit, quæ animæ salutem et perfectionem et in dies propriam iustitiam ac probitatem augeri flagitat. Licet autem hæc ratio per se aperta sit, validis tamen argumentis confirmare expedit; quorum septem potissima in medium proferam.

3. *Primum argumentum.* Magnum hoc pronuntiatum sodales nostri penitus intelligant, unumquemque in animæ suæ iustitia ac sanctitate omne se possidere bonum, cum possideat Deum, infinitum bonum, ultra quod nullum desiderium expandi possit; imo nullum unquam omnino creatæ naturæ desiderium eo pervenire posse, ut bonum illud absumat, quod ratio ipsa boni est, ideoque, ut supra diximus, omne bonum.

Dicito autem mihi qui credit et veram Christi doctrinam sequitur: quo potest carere bono qui iustitiam sectatur nec aliud quicquam curat? Nullo. De rebus enim expetendis nihil ei unquam desit; nam Christus: «*Quærite primum, inquit, regnum Dei et iustitiam eius; et hæc omnia adiicientur vobis*» (Mt 6,33).

Magis autem generatim Sanctus Paulus: «*Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Quid ergo dicemus ad hæc? Si*

Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?» (Rom 8,28, 5,32).

Adnotatio

Hanc doctrinam non penitus assecuto hæc se obtulerit dubitatio: «Si ipse solus sanctus effici studeam, nonne meis tantum commodis studeam? Aliena autem salus nonne tanti est quanti est mea»? – Ad hoc secundum, «tantine sit aliena salus quanti est mea», respondeo, alienam salutem tam pretiosam, eorum respectu, tamque necessariam profecto esse, quam mea sit respectu mei. Sed sicut nihil illis prodesset me salvum fieri, si ipsi perirent; ita nihil eos salvos esse mihi profuturum, si ipse perirem, iuxta illud Christi «*nullam daturum esse hominem commutationem pro anima sua, si perdiderit*» (Mt 16,26); ideoque aliorum fratrum animis, qui salutem sibi reperiant, suam redimere non posse.

Ad primam autem dubitationem quod attinet, sententiam nostram «sui nimium studium sapere», hoc est in errorem rapi. Sedulo enim animadvertendum, dissimilis, contrariæ etiam naturæ esse terrenarum rerum cupiditatem atque iustitiæ cupiditatem. Prior equidem sui nimii amoris causa et effectus est; cum enim terrena ad me rapio, ceteris aufero; contra iustitiæ cupiditas nihil est aliud nisi *ardor suum cuique tribuendi*, ut in omnes bono animo simus, munifico, infinite benigno.

Quamobrem mea, vel sola, iustitia universalem caritatem continet; et orare Deum ut summum iustitiæ me amatorem faciat idem valet ac pro omnibus proximis meis, nullo excepto, implicite orare; namque, hoc faciens, Deum precor ut me in omnes optimum faciat, et ad omne bonum agendum, quod eius voluntati consentaneum sit, me adducat, infinitæ eius in homines caritati consociatum.

4. *Secundum argumentum.* – Hoc bono, ut nos omnino iusti efficiamur, non acquiescere, aliunde oriri nequit, nisi ex tenui fide tenuique tam excelsi boni scientia, ut ex rebus dictis patet; nostra

enim iustitia omnia, quæ nobis bona sunt, simul comprehendit atque universam quandam in ceteros caritatem. Si vero quid sit iustitia noverimus, quamque perfectum bonum sit, neque hoc acquiescamus, animi, qui boni speciem, potius quam ipsum bonum diligat, infinitam infirmitatem, ignaviam, malitiam, aperte ostendamus.

5. *Tertium argumentum.* - Hoc unum ac magnum cogitare, ut quam plurimum iustitiæ consequamur, nihil aliter de nobis curantes, (quod bene vel male habeamus sanctis Dei manibus permittentes, ut nobis et de nobis ea omnia solaque agat quæ ei libeant), perfectæ palam virtutis actus hic est, maxime gratuitus atque liberalis. «*Melius est dare quam accipere*», ait Jesus Christus, Divus Præceptor noster; scilicet præstantior actio est merere quam gaudere.

Quapropter idem Jesus iustitiæ studiosiores nos esse iubet, quam iustitiæ præmii, beatitudinis; et a Patre suo Apostolis non cœlestia loca petit, sed vitæ innocentiam, illis verbis: «*Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo*» (Jo 17,15); quibus verbis nihil aliud petit nisi mali liberationem; sed in hac una re omnia sunt; nam cum homo omni malo vacuus sit, eum videlicet, bonitate sua necessario patescente, omnibus bonis Deus cumulat.

6. *Quartum argumentum.* - Iustitiam vel sanctitatem nostram Dei voluntatem esse pro explorato orato habemus, nam Sanctæ Litteræ docent: «*Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra*» (1Th 4,3); etiamque: «*Beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt illud*» (Lc 11,28). Hoc autem unum nobis absoluti summique pretii esse etiam ex dictis Jesu in Martham colligitur: «*Porro unum, inquit, est necessarium*» (Lc 10,42). Et sicut de hac re Dei voluntatem pro certo scimus, qui nobis legem dedit, quam colamus, ita circa reliqua omnia non necessaria, donec nobis ipse declaret, Dei voluntas nos latet.

Hic vero omnes laudes perspiciantur, quibus Sacræ Litteræ divinam legem divinumque verbum exornant; quæ laudes omnes huius petitionis præstantiam atque necessitatem ostendunt.

7. *Quintum argumentum.* - Quemadmodum unum necessarium, et de quo Dei voluntas constet, hæc precatio petit, ita sola petitio est

quæ certissime exaudietur; suo enim effectū carere non potest sincera iustitiæ cupiditas, de qua Christus: «*Beati, inquit, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur*» (Mt 5,6).

Ideoque hanc petitionem facientes in animi tranquillitatem certissimamque spem venimus nos Deo gratos esse. At non necessaria petentes vereri possumus, ne his verbis a Christo reprehendamus: «*Usque modo non petistis quidquam in nomine meo*» (Jo 16,24).

8. *Sextum argumentum.* – Hæc petitio præcellentissima eo quoque est, quod finem a Deo poscens, vias rationesque arbitrio eius committit; quod Dei voluntati obsequium est; qui actus igitur plenam fidem arguit eius sapientiæ, potentiæ, bonitatis; modestiæ quoque actus est, ita enim homo suo arbitrio sententiæque decedit, quasi sic Deum alloquens: «*Domine, iustitiam mihi tribue; cetera arbitrato tuo fiant; ego nihil scio; tu solus hanc mihi iustitiam tribuendi rationem nosti; quibus autem instrumentis usus eris, ea apta erunt; in iis benedicam tibi; tu solus igitur elige; non enim ipse novi, neque de iis laboro; si finem dederis, satis beatus*».

9. *Septimum argumentum.* – Hac universali precatione sæpissime Ecclesia Christi utitur. Utitur quotiescumque ait «*Domine, miserere*», seu «*Kyrie, eleison*», nec plura; quotiescumque generatim ait «*Ora pro nobis*» in Ave Maria, vel in litanis vel similibus generalibus precibus, in quibus Ecclesia sancta nihil singillatim designat, sed Dei arbitrio et Mariæ benignitati omnia salutis nostræ subsidia committit.

Eiusmodi autem sunt fere omnes preces quibus constat sacra liturgia, ac potissimum quæ cum duabus aliis, ante quam Christi Corpus sumatur, recitanda est, nimirum hæc: «*Domine Jesu Christe, fili Dei vivi, qui ex voluntate PaPatris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis, et fac me tuis semper inhærere mandatis et a te numquam separari permittas; qui cum eodem Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum*».

Idem servatur sermo et ordo in plerisque precibus, exempli gratia in precatione Dominicæ duodevicesimæ post Pentecostem, quæ

ait: «*Dirigat corda nostra, quæsumus, Domine, tuæ miserationis operatio; quia tibi sine te placere non possumus*».

10. Hic autem perpendatur quidnam huius precationis, nostræ Societatis itemque omnium Christi discipulorum maxime propriæ, summam excellentiam occultet. Falsa diligentia, quæ latenti iungitur arrogantia, hoc efficere solet. Hinc homo sui oblitus, quasi spiritus profectu non ita multum egeret, in proximorum salute solum elaborat; et ceteris totus intentus, sua vitia cognoscendi et superandi oneroso fastidiosoque labori se subducit; magna autem eum spes tenet, omnia in hoc esse posita, ut proximis bene faciat, et hanc diligentiam omnium virtutum vicem ipsi præstare posse. Hunc suum errorem defendit divinæ gloriæ causam interserens, quæ defensio speciosa est multosque ecclesiæ viros destituit.

Sed quid ei prodesset, Deum laude decorari, si ipse vero periret? Quid prodest affectis poena æterna gloria Dei in beatorum sede? Aut etiam, num eget Deus gloria, quam illi invito homo præstare vult? «*Illi invito*», dico; scimus enim Dei voluntatem nostram sanctificationem esse; quantum et quomodo ad proximorum sanctificationem opera nostra uti velit, nescimus. Ad proximorum animarum curam *speciali significatione ac missione* opus est, qualem Apostoli obtinuerunt, qualem Episcopi et ab Episcopis parochi eorumque adiutores obtinent.

Quod si Christianus vel Sacerdos divinæ voluntatis certum indicium, si missionem obtinuit, tunc cura ipsa animarum eius officium fit, ideoque eius iustitiæ pars. Iustitia igitur et divini verbi effectio unum denique est, quod etiam in hac re quærere et curare debet. Gloria igitur quam Deo comparare possumus et debemus hæc sola est, ut in omnibus rebus, divina gratia adiuvante, colendæ eius voluntati omnino obsequamur, legemque eius augustissimam ita servemus, nec plus minusve quicquam. – Deo Conditori nostro majorem gloriam præstare, nec possumus nec debemus.

Iustitia autem tam rigida externæ quam Deo comparamus, condicio est, ut, etsi omnium hominum qui in terris sunt animos converti et qui futuri sint salvos fieri, inferos quoque una cum omnibus dæmonibus ad summam sanctitatem adduci et sanari vel levissimo

crimine a nobis posse pro certo sciremus, hoc ipsum nobis non esset faciendum; nec divinæ gloriæ causa nos purgaret; gloriam enim illam, quam vel minima culpa Deo præstaremus, iam in nostra facultate non esset Deo præstare; oporteret contra non præstare; quoniam Sanctissimus Deus a nobis accipere recusaret.

Hoc ascribo: verum Dei amatorem amorem quo Deum suum prosequitur vel minimim se extenuare non passurum, etsi sciret, ad hunc extenuatum amorem compensandum, Deum ab omnibus simul creatis naturis innumeros seraphici amoris actus recepturum; quoniam verus amator quamvis minimum amorem abdicare omnino non potest, sed scintillulam suæ dilectionis infinitum et incomparabilem thesaurum existimat, imo id sibi omnem rem esse ducit; numquam itaque eius defectu contentus erit, re qualibet permutans; nam ipse, quod ad se attinet, Deum suum omni studio, quam maxime, et nihilo minus, diligere cupit, ceterarum naturarum nulla ratione habitata; ipsius enim bonum amor illius est; in quo uno ipsius perfectio et iustitia consistit et id quod Deus ab ipso exoptat.

Ex quibus intelligitur quare probis viris piæ fraudes, aut ex falsa diligentia prolata mendacia et quælibet puræ et sincerissimæ veritatis immutatio aut alia iniuria, animarum lucri obtentu, Deo illata, detestabilia sint; hæc enim omnia veri Dei famuli summopere oderunt; quia «*non sunt facienda mala, ut veniant bona*», ut ait Apostolus (Rom 3,8).

11. Itaque omnino pro certo habendum, præcipuam ac necessariam huiusque Societatis maxime propriam petitionem eam esse, qua petatur Dei iustitiam nobiscum participari, Dei autem voluntati permittantur subsidia quibus utatur, ut sanctitatem iustitiamque suam nobiscum participet.

12. Sed post hæc omnia hanc primam et multa complectentem petitionem alteram augustissimam in se continere facile perspicietur; et ecce quo pacto.

Quod volumus iustitia est; ergo si iustitiæ possessionem petimus, id quoque ad quod iustitia nos portat petere debemus, quidquid videlicet iustum est.

13. Quapropter Dominus in sua prece nos instituit ad Patrem orandum, ut *eius nomen sanctificetur*, cum maxime hoc iustum sit; ut *adveniat regnum eius*; quia hoc advenire par est; ut *fiat eius voluntas*, quia fieri æquum. Pro nobis autem *panem supersubstantialem* petimus, quod Verbum Dei, homo factum, vere est, (præsertim in re Sacramenti); *remissionem peccatorum et liberationem a malo et a temptationibus*; quæ ad nostram ipsorum salutem pertinent.

14. Multæ pariter aliæ augustissimæ et optimæ formulæ excogitari possunt, quales sunt illæ, quibus quod iustum est generatim petitur, aut nostra ipsorum iustitia. Verbi gratia, cum oratur ut divina fata impleantur, ut Christus dicens: «*Ego pro eis rogo; non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt*» (Jo 17,9); nihil melius peti potest, hoc enim optimum est et iustissimum. Cum pro Ecclesia oratur, ut plurimum fructum et maximam gloriam Deo afferat, sancte oratur; cum petitur omne bonum in divinæ sapientiæ ordine cognitum, quicumque salutis subsidia Deo placent et his similia, profecto iusta et quæ Dei voluntas complectitur, optimum semper petitur, neque ea, de qua in hoc capitulo agimus, optima petitione exceditur.

Caput II^{um} *De aliis petitionibus*

15. Præcipua petitio, de qua hactenus, quæque in duas dividitur, alteram qua nobis ipsi iustitiam petimus, alteram qua petimus quidquid est iustum, ratio quoque est qua ordinantur ceteræ petitiones.

Enimvero animadvertendum est iustitiæ rationem, simplicem et unam, si in se ipsa consideretur, variis autem casibus applicatam nonnullos edere fructus, qui Caritatis Societatis sectatoribus, solam iustitiam principium aut finem habentis, totidem vitæ singularia præcepta sint. Hæc autem singularia præcepta, quæ a iustitiæ ratione, cum applicatur, proficiscuntur, ad tria reduci possunt:

- I. ad sui status munia religiose præstanda;
- II. ad divinæ Providentiæ vel voluntatis invitationes ad bene faciendum, externis rebus nobis patefactas, exequendas;
- III. ad quam maxime progrediendum in iis quæ ad contemplationis vitam, seu coniunctionem cum Deo, pertinent.

16. Jam ex his tribus latissimis præceptis tria petitionum genera oriuntur ex huius Societatis indole digestarum:

- I. petitiones, quarum postulata certis nostri status officiis definiuntur;
- II. petitiones, quarum postulata definiuntur fortuitis divinæ voluntatis significationibus;
- III. petitiones quæ sponte nostra fiunt, quibus nobis gratissima postulamus, cum facultas nobis sit quodlibet petendi.

De his tribus petitionum generibus, breviter dicamus.

§ 1. De rebus petendis e status nostri natura

17. Post nostram ipsorum iustitiam, ut supra diximus, et quidquid iustum est, si quas animas curce nostræ Deus commisit, harum salus, prima rerum petendarum est.

18. Hæc autem specialis petitio, ut iam animadvertimus, in nostræ ipsorum iustitiæ generali petitione implicite continetur, et hæc ipsa iustitiæ actus est; si enim Deus eas nobis animas commisit, nostrum est pro eis orare, cum hoc omnium efficacissimum subsidium sit, quo eas iuvenus.

Ideo Episcopos et Parochos singulis dominicis diebus pro populo sibi credito Ecclesia litare iubet; nostræ vero Societatis summus Antistes pro omnibus eidem corpori ascriptis quotidie litat et omnes ceteri Præpositi singulis dominicis diebus pro iis quorum spiritus regunt.

Quod Christi exemplo congruit. In sua enim post Cœnam, et antequam Gethsemani hortum peteret, precatione, primum pro se oravit; cum tamen iam omnem iustitiam possideret, Patrem nihil rogare debuit nisi iustum iustitiæ fructum, gloriam; itaque: «*Pater, inquit, venit hora, clarifica Filium tuum*» (Jo 17,1).

Hanc vero gloriam petit paternæ gloriæ amore; quapropter magnanimitate quadam ac iustitia suam gloriam paternæ gloriæ referens, verbis illis: «*Pater, venit hora, clarifica Filium tuum*», hæc addit: «*ut Filius tuus clarificet te*». Postquam autem pro se oravit, pro Apostolis orat, nimirum pro iis quos proximos habebat omnium, quos ei Pater dedisset: «*Ego pro eis rogo*» et hanc ipsam causam adducit, quod a Patre suo in tutelam et proprietatem sibi dati sint: «*Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*». Et pro eis petit ea bona tantum quæ ad spiritum pertinent; eadem tamen summa et infinita, maxima humani sermonis vi dicens: «*Ut sint unum, sicut et nos unum sumus*».

Precationem autem facta pro iis qui omnium proxime ad eum pertinebant, quique omnium ipsi proximi erant, in rebus spiritus, pro iis quoque orat, qui ad eum pertinentes minus tamen propinqui erant, sic loquens: «*Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui*

credituri sunt per verbum eorum in me». Quod illis qui præsunt documento est, ut non solum orent pro iis qui in ipsorum cura presenti tempore sunt, sed et pro omnibus quos futuro accipient; et, propter huius partis cum proprio corpore coniunctionem, etiam pro tota Ecclesia, exemplo Christi, qui, quos eius spectaret precatio, ostendit his verbis: «*Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te; ut et ipsi in nobis unum sint*».

19. Uniuscuiusque igitur officium est, postquam pro se oravit, etiam pro animis sibi creditis orare, quod iustitia postulat; sed in hac ipsa precatioe divinæ voluntatis ordo servandus est; qui ordo ex iis quæ sequuntur melius perspicietur.

20. Se quisque salvum fieri ac perfectum, sicut Pater cœlestis perfectus est, Deum cupere novit, nec ignorat ex sua voluntate divinæ gratiæ consentiente vere salvum fieri pendere. Sed, si sua se voluntate salvum facere potest, fratrem, eius voluntate renuente, salvum facere nequit. Consentiens igitur gratiæ, quoad suam salutem, voti se compotem futurum pro certo scire potest; utrum autem voti compos futurus sit quoad salutem eorum fratrum pro quibus orat, eum latet. Ergo *pro his sub condicione orare debet*, scilicet omnia postremo illi subdens, qui, nihil cuiquam debens, alios ab æterno ad loca cœlestia gratuito prædestinavit, alios propter eorum crimina ad pœnam sempiternam præscivit.

Precationes igitur pro fratribus nostris electorum fati semper se accomodare debent; neque enim alio consilio oramus, nisi ut optima, sapientissima et iustissima electorum fata impleantur, ut Deus Optimus Maximus ab æterno præfinivit et voluit; nullum enim maius bonum esse potest, nisi quod ab æterno placuit optimo Deo nostro. Huc igitur oratio pro nostris fratribus recidit, ut omnes electi suam electionem ad effectum perducant, ut Patri libet. Huius divinæ voluntati consensionis, quæ regula est omnis bonitatis, Jesus Christus exemplum nodis dedit: «*Non pro mundo rogo, inquit; sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt*» nimirum pro his quos ad æternam salutem prædestinasti, mihi quidem donans; pro his rogo non tam quia mei,

quam quia tui sunt, scilicet quia sic tibi placuit; pro his rogo infinito impulsus amore quo te amplector.

Adnotatio

Ad Ecclesiae preces quod attinet, quæ quisque ex præcepto positivo facere tenetur, eiusdem Ecclesiae sensui se accomodare oportet, et omnia earum postulata debito ordine semper petere; ad quod nostri officii ipsa ratio nos impellit. Ubi tamen ordo quem hic exponimus præ oculis habendus erit. Cuius ordinis, ut breviter colligam, duæ præcipuæ regulæ hæ sunt.

I Regula: ut pro aliis orantes in primis pro eorum æterna salute orare cogitemus, iuxta eam legem: «*Quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis*» (Mt 16,26), tum etiam: «*Quid . . . prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?*» (Mt 16,26). Quamobrem cum temporalia petuntur, sub animarum salutis conditione semper petantur.

II Regula: ut pro una vel pluribus animis specialiter orantes pro tota Ecclesia orare nobis proponamus, nimirum ut Christi vinea plurimum fructum afferat, et singulæ animæ plurimum fructum quem Domino afferre possint; ex hoc enim pendet cœlestis Patris gloria, quam Christus assidue comparat: «*In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli*» (Jo 15,8). Docet item Christus, in vitis parabola, agricolam eam purgare «*ut fructum plus afferat*» (Jo 15,2).

21. Deinde unusquisque orare debet, ut omnia munera sibi commissa ideoque suo statui adiuncta a Deo prosperentur, ut nimirum ad animæ suæ salutem, ad Dei gloriam et alienarum animarum utilitatem bene cedant, cum lucem viresque ad munus illud vel officium perfecte exequendum petens, tum orans ut ipsi operi in omnibus suis adiunctis divina bonitas faveat.

«*Ut bene cedant, dixi, ad animæ suæ salutem, ad Dei gloriam et alienarum animarum utilitatem*», quia *ordo spiritus corporali ordini et visibili semper anteponeendus est; nec ulla huius mundi res quic-*

quam pretii habet, nisi cum ad animæ nostræ, deinde ad ceterorum salutem et divinam gloriam confert; quidquid igitur, etiam muneris sui, petitur sub conditione est petendum, si et qua ratione ad propriam iustitiam augendam, ad maiorem Dei gloriam et ad proximorum animarum salutem proderit.

22. Tum unusquisque, ut subditus, pro iis qui præsunt orare debet, ac primum pro Summo Pontifice et toto universæ Ecclesiæ regimine, deinde pro rei publicæ principibus eiusque regimine, eo quod princeps vel regimen quamvis temporale, movente Deo, ut in suo populo regendo ipsi fideliter serviat, ad Sanctam Ecclesiam prosperandam maximo usui est. Deinde ordinatim orandum pro specialibus præpositis, ecclesiasticis et laicis, et pro omnibus ex quibus eius animæ salus et gregis, in quo annumeratur, pendet, ut omnes ad id faciendum quod tanto consilio maxime prosit, Deus regat.

23. Denique impellit unumquemque legis naturalis præceptum, ideoque iustitia, ut pro omnibus de se bene meritis, propter eorum beneficia eorumque operam in iis comparandis, oret; hisque non vivis tantum sed et vita functis.

24. Hic autem anteponendi sunt parentes, utpote qui vitam nobis dederunt, quæ omnium bonorum et animi et corporis fundamentum est; deinde qui spiritui nostro profuerunt eos, qui corpori, antecedunt.

Nunc quæ a Deo petenda moneant res externæ consideremus.

§ 2. De iis quæ a Deo petenda sunt ex causis externis

25. Res externæ, quæ nostras pro proximis preces designant, duæ sunt: vinculum spiritus quo cum eis nectimur, et vinculum naturæ.

26. Ad *vinculum spiritus* quod attinet, primum orandum est pro iis qui nobiscum artissime coniuncti sunt, qui coram Deo cor unum sunt et anima una; una hinc vox unius corporis ad divinæ maiestatis

solium extollitur. Hoc sane ordine in liturgia sæpissime orat sacerdos, veluti panem offerens: «*Suscipe, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi, Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentis meis*» (in precationem pro se, qua sacerdos iustitiam petit), «*et pro omnibus circumstantibus*» (in precationem pro iis quibuscum orat), «*sed et pro omnibus fidelibus cristianis vivis atque defunctis*» (in precationem pro iis quibuscum modo, quoad spiritum, minus arte coniunctus est) «*ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam æternam*». Hæc autem tota oratio nihil petit, nisi iustitiam æternamque quæ consequitur remunerationem.

27. Deinde, ut pro proximis oremus, eorundem ipsa postulatio nos impellere debet. Ergo postea orandum est pro iis, qui precibus nostris se commendaverunt, in eorum obsecratione ad caritatem in eos exercendam Providentiæ permotionem agnoscentes, honesto proboque eorum desiderio obsequentes.

28. Est præterea *naturæ vinculum*, ut supra diximus, quod, cum æquum sit, gratia sanctum reddit, et nobis ad orandum incitamentum esse debet; quod vinculum *miseratione* præcipue gignitur. Omnis miserationis motus, ut etiam quælibet naturalis et æqua animi permotio, Providentiæ ad proximis caritatem exhibendam, etiam pro iis orando, stimulus a nobis haberi potest. Quæ ipsa omnia Christi exemplo consonant. Ad Lazari sepulcrum is flevit et oravit et, gratias agens, ad vitam revocavit; quod similiter fecit cum Naim viduam conspexit filii morte consternatam.

Huiusmodi tenera miseratio, cuius tot exempla Christus nobis edidit, nostræ Societatis ingenio maxime congruit, et oratio, quæ ex ea oritur, veræ sanctæque caritatis Deo pergrata significatio est. Cum autem sensibilis miseratio sensibilibus ac temporalium calamitatum visu plerumque excitetur, ideo cogitemus ob miserationem nos merito ad orandum impelli, ut a proximis nostris mala vel minima arceantur, non item ut bonis donentur non necessariis, evangelio dacente et Christo auctore, nobis cupienda non sunt.

29. Bona tamen cuiusque modi plerumque petere licet, ut iustitiæ effectus a Deo optatos; namque iustitiam postulantes hoc ipso equidem bonorum plenitudinem postulamus.

§ 3. De iis quæ nostra sponte petere possimus

30. Deinde quælibet precatio, dummodo suo ordine aut aperto aut tacito fiat, semper actio sancta est et una ex illis, quæ ad vitam occultam, ex nostræ Societatis lege voluntarie institutam, pertinent. Certe non ex officiis status nostri et externis incitamentis nobis ad orationem impulsus expectandus est; sed hæc, quid ipsa oratione petere debeamus, magis definiunt. Si ergo precatio sponte nostra fiat nec quid petere debeamus duobus illis, quæ ostendimus, præceptis definiatur, quis rerum a Deo petendarum aptior ordo sit?

31. Nullus fere alius ordo est præter duos quos supra commemoravimus. Attamen Spiritus Sancti, qui «*ubi vult spirat*», permotionem omni tempore suavissime secundare ac sequi decet.

32. Sed nunquam error erit in electione nostra, si in necessaria ac præcipua petitione persisterit, quacumque formula usa erit, verbi causa ea quæ universæ Ecclesiæ utilitatem spectat. Hæc formula profecto præcellentissima est, modo qui ea utitur, quid faciat, pro Ecclesia orans, intelligat; nimirum ex omnibus simul iis peculiaribus causis orare cogitet eo ordine, quem supra ostendimus, ideoque in illa una precatio omnes quaslibet preces ordinatim velit comprehendere. Etenim nonne et ipse Ecclesiæ addictus est?

Igitur pro Ecclesia orans pro se quoque orat et eo quidem ordine ac ea ratione, qua pro se orare decet; orat et pro ceteris omnibus eo ipso ordine, quem inaior gloria et voluntas Dei, quæ in maiore animarum salute plerumque posita est, requirit.

Quapropter liturgiæ *canonem* incipiens sacerdos universalem preces facit, cœlesti Patri supplicans, *ut accepta habeat dona et sacrificia quæ «in primis offert pro Ecclesia sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere dignetur toto orbe terrarum una cum famulo*

suo Summo Pontifice, cum Antistite et omnibus catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus». Perpendatur vero eandem precationem quam pro nobis facimus, ut a Christo instituti sumus, parem similemque esse precationi pro tota Ecclesia; plurali enim nomine Deum «Patrem nostrum» compellamus, Patrem nimirum omnium Ecclesiæ addictorum, Patrem meum et omnium fratrum meorum.

In hanc autem necessariam ac precipuam precationem, utpote altissimam omnium ac magnificentissimam, voluntarii animorum nostrorum motus persæpe ferantur.

